

si plures ab eodem adoptantur; unde valide possunt inter se matrimonium contrahere. *Glossa* communiter recepta in cap. *Si qua de cognat. legali*, verb. *Quandiu*, De cognatione legali; Divus Antoninus, in part., tit. 1, cap. 13; Bonacina, *De matrim.*, q. 3, punct. 5, n. 7, Rosignol., *loc. cit.*, n. 16, et alii passim. Nullo enim jure statulum invenitur tale impedimentum. Tum quia inter filium, et filiam spiritualem ejusdem patris spiritualis non versatur impedimentum; ergo multo minus inter duos adoptivos, cum isti minus sint conjuncti, quam illi: arg. c. *Ita diligere* 1, caus. 30, quæst. 3.

(90. Cognatio legalis dirimens matrimonium non oritur inter adoptatum, et filiam illegitimam adoptantis, nec inter filiam illegitimam adoptati, et adoptantem, vel legitimos ejus liberos. *Communis*, cum Sanchez, lib. vii *De matrim.*, disp. 63, n. 30; Sporer, to. III, part. iv, cap. 1, sect. 1, num. 85; Pirhing., lib. 4 *Decret.*, tit. 12, num. 9; Reiffenstuel, *ib.*, n. 7. Et ratio est, quia illegitimi non veniunt nomine naturalium liberorum, neque sunt sub patria potestate; § *Si adversus* 12, *Institut. de nuptiar.*, et tali potestate non existente, seu cessante, cessat adoptio, et consequenter etiam cognatio legalis, cap. *Per adoptionem* 6, caus. 30, quæst. 3.

(91. Cognatio legalis dirimens matrimonium non oritur inter adoptantem, et parentes adoptati, quia nullo jure prohibitum est inter istos matrimonium contrahi. *Communis* cum S. Thoma in 4, dist. 42, qu. 1. art. 3, ad primum. S. Antonin., in part., tit. 1, cap. 13; Tolet., lib. vii *Summæ*, cap. 4, in fin.; Rosignol., *loc. cit.*, num. 18.

(92. Neque cognatio legalis dirimens matrimonium oritur inter filios duorum fratrum adoptivorum; si enim ex dictis supra num. 69, duo adoptivi possunt libere contrahere inter se, a fortiori poterunt ad invicem contrahere eorum filii. *Communis*. (93. Neque cognatio legalis impediens matrimonium oritur inter filios legitimos, et naturales patris adoptantis, et filios adoptivorum. Sic Bonacina, quæst. 3 *De matrim.*, punct. 5, n. 6; Rosignol., *loc. cit.*, n. 19, et alii plures. Et ratio est, quia de hac cognatione nulla fit in jure mentio, et illa tantum debet cognatio agnosci, quæ in ipso jure exprimitur; unde non debemus extendere hanc cognationem legalem ultra terminos, ad quos eadem jura extendunt, ut docet Navarr. in *Manual.*, cap. 21, n. 45. Nec aliam extensionem per gradus debemus agnoscere, præterquam in linea recta; in linea enim transversali, seu collateralis non fit extensio ultra primum gradum. Rosignol., *loc. cit.*; Felix Potestas, tom. I, part. iv, n. 4031, et alii.

(94. Ut facilius percipiantur, quæ de cognatione legali dicta sunt, et in dies current, cum ipsa ex adoptione proveniat, hic aliqua breviter de adoptione traduntur. *Adoptio igitur* est extraneæ personæ in filium, vel filiam, nepotem, vel deinceps,

legitima assumptio. » Est in re communis. Per *ly personæ extraneæ* intelligitur ea, quæ est extra potestatem adoptantis, et a jure, ad quod assumitur, aliena, sive alioquin sit ejus consanguinea, sive non. Per *ly in filium, vel filiam, nepotem, vel deinceps*, denotatur, quod non potest quis adoptari in fratrem, vel parentem, quia, cum adoptio ex genere suo sit superioris ad inferiorem, et per illam adoptatus constituatur sub potestate adoptantis, non potest esse in fratrem, vel parentem, quia isti de genere suo non sunt inferiores, sed vel æquales, vel superiores; et hoc habetur expresse in leg. *Nec apud*, cod. *De hæred. instit.* Per *ly legitima assumptio*, denotatur, quod ad hoc, ut adoptio sit valida, debet fieri secundum formam a lege, seu jure præscriptam, scilicet, ut adoptio fiat inter præsentem, et non per procuratorem; l. *Neque*; et l. *Post mortem*, § *Neque*, ff. *De adoptione*. Ut adoptans sit masculus; nam femina adoptare non potest, nisi ex speciali concessione principis; § *Femina* 10, *Institut. de adopt.* Ut 18 annis præcedat adoptatum; § 4 *Institut. de adoptione*. Ut natura sit potens ad generandum; unde castrati adoptare non possunt; § 9 *Institut. de adoptione*. Vide verb. PATRIA POTESTAS, n. 26 et 27, ubi notatur differentia inter spadones, et castratos; possunt tamen adoptare sacerdotes, quia isti non a natura, seu physice, sed per accidens, et moraliter tantum inhabiles sunt ad generandum. Abbas in cit. cap. *Si qui* 1, De cognatione legali, n. 4; Hostiens., *ibid.*, n. 4, et alii passim. Ut adoptans sit sui juris, et major 25 annis, quia alias nondum habet administrationem suorum bonorum; quæ omnia, et alia habentur tot. tit. ff. et cod. *De adopt. et instit. eod.*

(95. Adoptio est duplex, una propria, et perfecta, quæ *adrogatio* dicitur; et alia impropria, et imperfecta, quæ *adoptio simplex*, et in specie vocatur; l. 1, ff. *De adoptione*. Adoptio perfecta, seu *adrogatio* est illa, per quam adoptatus sui juris existens, principis rescripto transit in potestatem adoptantis, fitque hæres necessarius ex testamento in quarta bonorum parte, ut filius legitimus, et naturalis, arg. § 1 *instit. de adopt.*, et l. ii, cod. eod. Adoptio imperfecta, seu *adoptio simplex*, et in specie, est illa, per quam adoptatus nondum sui juris existens, auctoritate cujuscunque judicis competentis, ita assumitur in filium, aut nepotem, ut non transeat in potestatem, et familiam adoptantis, sed adhuc maneat sub sui patris naturalis, aut avi potestate; nec fiat adoptantis hæres necessarius ex testamento, sed solum ei succedere possit ab intestato arg. § *Adoptio*, *Instit. de adoptione*, leg. *Generalis*, ff. *De adoptione*. (96. Unde, ut vides, in multis differunt inter se adoptio perfecta, et imperfecta. *Primo*, adoptio perfecta, seu *adrogatio* non potest fieri, nisi auctoritate supremi principis, et adoptio imperfecta, seu *simplex*, et in specie potest fieri auctoritate cujuscunque judicis, seu magistratus competentis leg. *Generalis* 2, ff. *De adoptionibus*, § *Adoptio*,

Instit. eod. tit. Secundo, adoptio perfecta, seu *adrogatio* transfert jus, in adrogatum, ut non solum succedat ab intestato, sed etiam ex testamento in quarta parte bonorum adrogantis; unde adrogans non potest penitus privare adrogatum per testamentum omnibus suis bonis, sed tenetur eidem servare quartam partem bonorum pro legitima; § *Sed hodie*, *Instit. de adopt.* Adoptio autem imperfecta transfert solum jus in adoptatum, ut succedat ab intestato, non vero, ut sit hæres necessarius ex testamento; unde adoptans potest per testamentum de bonis suis disponere in favorem alterius sine læsione et injuria adoptati, cit. § *Sed hodie*, *Instit. de adoptione*. *Tertio*, adoptio perfecta, seu *adrogatio* petit, ut adrogatus ante sui assumptionem, seu electionem sit sui juris, cum per adrogationem transeat in potestatem adrogantis; adoptio vero imperfecta non requirit, quod adoptatus sit sui juris, cum per adoptionem imperfectam adoptatus non transeat in potestatem adoptantis, adeoque nullum jus lædatur illius, sub cujus potestate est l. 2, § ultim. ff. *De adoptione*. Sunt adhuc aliæ differentie, quæ, ut minus principales, relinquuntur videndæ apud legistas in *Instit.* § et cod. *De adoptione*.

(97. Probabile est, quod cognatio legalis dirimens matrimonium, non solum oriatur ex adoptione perfecta, seu adrogatione, sed etiam ex adoptione imperfecta, seu simplici. *Glossa* in c. *Si quis* 1, De adoptione legali, et ibi Abbas, n. 5, Ancharanus, n. 8; Covarruv., par. ii *De matrim.*, c. 6, § 5, nu. 2; Gutierrez, *De matrim.*, cap. 102, n. 3. Barbosa, *De offic. et potest. episc.*, alleg. 51, num. 189; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 10, ubi testatur de communi. Et ratio est, quia jura omnia inducentia hanc cognationem ad dirimendum matrimonium loquuntur indistincte de adoptione, nulla facta mentione de imperfecta, vel perfecta; adeoque intelligenda sunt in tota sua latitudine, et sine ulla restrictione; cap. *Quia circa* 22, De privileg. (98. Non desunt tamen etiam magni nominis auctores, qui nedum dicunt probabile esse, sed etiam probabilius, ex adoptione imperfecta non oriri cognationem legalem dirimendam matrimonium, sed tantum ex perfecta; ita Innocentius in cap. *Si qua de cognatione legali*, num. 1; Silvester, verb. *Matrimon.*, 8, q. 8, et varii alii cum Rosignolo, l. c., n. 10.

(99. *Crimen* dirimens matrimonium est quadruplex. Primum est solum homicidium. Secundum est homicidium cum adulterio. Tertium est adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro. Quartum est adulterium solum cum alio matrimonio contracto. (100. *Solum homicidium*, scilicet uxoricidium, vel maritidium, est impedimentum dirimens, quando vir, aut mulier, etiam sine adulterio, ex mutuo tamen consensu, occidit suam, aut alterius consentientis compartem, cum animo matrimonii inter se post mortem alterius conjugis contrahendi. *Communis*, arg. cap. *Laudabilem* 1,

De conversione infidelium, et cap. *Si quis, vivente*, 5, caus. 31, quæst. 1.

(101. Ut autem tale homicidium sine adulterio causet impedimentum, requiruntur tres conditiones. *Prima*, ut tam vir, quam mulier contrahere volentes, moraliter, vel physice concurrant ad mortem conjugis innocentis; non enim sufficit, si unus tantum, vel una sine scitu, vel consensu alterius ad talem mortem concurrat arg. cit. cap. *Laudabilem* 1, De convers. infidelium. *Secunda*, ut mors ex mutua eorum machinatione revera, et in effectu sequatur; non enim sufficit sola mutua machinatio, si mors non sequatur. *Communis*, arg. cit. c. *Si quis, vivente*, 5, cau. 31, q. 1 et cit. c. *Laudabilem* 1, De convers. infidelium. *Tertia*, ut conspiratio illa in mortem conjugis innocentis, ac mortis machinatio fiat, ex, vel cum intentione contrahendi invicem matrimonium, morte secuta; non enim sufficit, si fiat ex alio fine, seu motivo, v. g. ex odio, vindicta, et hujusmodi. *Communis*, arg. cit. cap. *Laudabilem*, et cit. cap. *Si quis, caus. 31*, q. 1, ibi: *Occidisse notetur, ut conjungeretur*, ut notat ib. *Glossa*.

(102. *Homicidium cum adulterio* est impedimentum dirimens, quando solus adulter, commisso adulterio, occidit suam uxorem, aut sola adultera suum maritum, etiam absque conspiratione cum complice adulterii, *Communis*, arg. cap. *Significavit nobis* 2, et cap. *Super hoc* 3, De eo qui duxit in matrimonium, et cap. *Si quis vivente*, 5, caus. 31, q. 1.

(103. Ut tale homicidium cum adulterio causet impedimentum, requiruntur etiam tres conditiones: I. Ut unus complicum adulterii sit vera causa physica, aut moralis cædis conjugis innocentis; sola enim rati habitio cædis jam factæ, aut approbatio non sufficit. *Communis*, arg. cit. cap. *Si quis vivente*, 5, caus. 31, q. 1, c. *Significasti* 6, De eo qui duxit in matrimonium. Nec requiritur, quod uterque concurrat, sed sufficit, si unus solus eorum, etiam altero inscio, id faciat; arg. cit. cap. *Si quis vivente*, ibi: *Nisi forte vir, aut mulier*; et cit. cap. *Significasti*, ibi: « Nisi alter eorum in mortem fuerit machinatus. » II. Ut mors ex tali machinatione realiter et in effectu sequatur. Non enim sufficit sola machinatio, si revera mors non sequatur. *Communis*, arg. cit. cap. *Si quis vivente*, 5, caus. 31, q. 1, et cap. *Laudabilem* 1, De convers. infidel. III. Ut machinatio in mortem conjugis innocentis fiat ab alterutro eo fine, et animo contrahendi matrimonium cum complice adulterii; non enim sufficit, si fiat ex alio fine, aut motivo, v. g. ex odio, vindicta, et hujusmodi; arg. cit. cap. *Laudabilem* 1, De convers. infidel., et cit. c. *Si quis vivente*, 5, caus. 31, q. 1, ibi: « Occidisse notetur, ut conjungeretur, » notat ib. *Glossa*.

(104. *Adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro* est impedimentum dirimens, quando adulter, et adultera, sive ante, sive post adulterium commissum, promittunt, et fidem dant de

matrimonio post mortem conjugis contrahendo, etiamsi ipsi in talem mortem non conspiraverint. *Communis*, arg. cap. *Relatum est 4*, caus. 31, q. 1, cap. *Propositum 1*; cap. *Ex litterarum tuarum 4*; cap. *Significasti 6*; et c. *Veniens 7*, De eo qui duxit in matrimonium.

(105. Ut tale adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro causet impedimentum, requiruntur quatuor conditiones. I. Ut intercedat seria, et acceptata ab altera parte promissio de futuro matrimonio: non enim sufficit adulterium sine tali acceptata promissione. *Communis*, arg. cap. *Significasti 6*, cap. *Veniens 7*, et cap. *Si quis 8*, De eo qui duxit in matrimonium. Nec refert, an adulterium præcedat, vel subsequatur talem promissionem, textu expresso in cit. cap. *Si quis 8*, De eo qui duxit in matrimonium, ibi: « Si prius, vel postea... illam adulterio polluisset. » II. Ut promissio, et adulterium facta sint, vivente eodem conjugate: non enim sufficit, si fiant post mortem ipsius. *Communis*, arg. cap. *Significasti 6*, cap. *Veniens 7*, et cap. *Si quis 8*, De eo qui duxit in matrimonium, ubi semper dicitur *Si vivente uxore*. III. Ut uterque adulterans sciat alterum esse conjugatum: non enim sufficit, si neutra, vel altera pars nesciat se committere adulterium. *Communis*, arg. cap. *Propositum 1*, De eo qui duxit in matrimonium, ibi: « Quia tamen mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem viventem; » et cap. *Veniens 7*, eodem. IV. Ut adulterium sit perfectum, et consummatum: non enim sufficit copula solum attentata. *Communis* cum *Glossa* in cap. *Si quis 9*, De eo qui duxit in matrimonium, verb. *Cognovit*, Joan. Andr., *ib.*, n. 4, Abbate, *ib.*, n. 6; Barbosa, *ib.*, n. 4. Et ratio est, quia non obest conatus, ubi injuria non habuit effectum; arg. cap. *Adolescens 32*, De sponsalibus.

(106. *Adulterium solum cum alio matrimonio contracto* est impedimentum dirimens, quando adulter, vivente legitima sua uxore, cum altera adultera contrahit per verba de præsentem, vel adultera, vivente legitimo suo marito, cum alio adultero per verba de præsentem contrahit; tunc enim, etiam mortua uxore adulteri, vel marito adultera, contrahere nunquam possunt. *Communis*, arg. c. *Propositum 1*, c. *Cum haberet 5*; cap. *Veniens 7*, cap. *Si quis 8*, De eo qui duxit in matrimonium.

(107. Ut tale adulterium solum cum alio matrimonio contracto causet impedimentum dirimens, requiruntur duæ conditiones. I. Ut matrimonium cum primo conjugate sit validum: non enim sufficit matrimonium ex aliqua ratione invalidum. *Communis*, arg. cap. *Significasti 2*, De eo qui duxit in matrimonium. II. Ut matrimonium cum primo conjugate contractum sit notum secundo conjugate: non enim sufficit primum contractum matrimonium, si secundus conjugatus ipsum penitus ignoraverit. *Communis*, arg. cap. *Propositum 1*, et c. *Veniens 7*, De eo qui duxit in matrimonium.

(108. Criminis impedimentum non est inductum jure naturæ, vel divino, ut patet in Davide, qui post adulterium, et occisionem Uriæ, duxit ejus uxorem Bethsabæam, sed solum jure ecclesiastico. *Communis*, arg. c. *Si quis, vivente 5*, caus. 31, q. 1, c. *Propositum 1*; c. *Significasti 2*; cap. *Super hoc 3*; c. *Cum haberet 5*; c. *Significasti 6*; c. *Veniens 7*; et c. *Si quis 8*, De eo qui duxit in matrimonium. (109. Hinc si duo infideles pro tempore infidelitatis commisissent tale crimen, et postea conversi ad fidem inter se contraherent, valide contraherent; quod non possent, si tale impedimentum esset inductum jure naturæ, cui et ipsi infideles subduntur, licet non subdantur juri ecclesiastico. *Communis*. (110. Non sic autem, si tale crimen fuisset commissum a duobus quorum unus esset fidelis, et alter infidelis; tunc enim non posset hic alteri post baptismum jungi matrimonio. *Communis*, argum. capit. *Laudabilem 1*, De convers. infidelium. Et ratio est quia tunc impedimentum ab Ecclesia statutum directe in fidelem, redundat etiam in infidelem, siquidem impedimentum ex parte unius in contractibus correspectivis invalidat contractum etiam respectu alterius, ut patet in impedimento voti solemnem in professione religiosa, quod quamvis in uno tantum reperitur, reddit tamen matrimonium invalidum etiam respectu alterius.

(111. *Cultus disparitas*, seu diversitas religionis dirimit matrimonium inter fidelem, et infidelem, seu baptizatum, et non baptizatum. *Communis*, arg. cap. *Cave 15*, caus. 28, qu. 1, et tota fere illa quæstione. Et ratio est, quia non patet aditus ad alia sacramenta sine baptismo, cum baptismus sit janua sacramentorum. (112. Hoc impedimentum non est inductum jure naturæ, aut divino, sed solum jure ecclesiastico, si non scripto, saltem consuetudinario, consuetudine, et perpetuo usu Ecclesiæ approbante. Scotus, in 4, dist. 39, quæst. unie., art. 2, et ibi S. Bonavent., art. 1, q. 1; Conineh., *De matrimo.*, disp. 21, n. 41; Sanchez, lib. vii, disp. 71, n. 7; Perez, disp. 36, sect. 1, n. 4; Sporer, to. III, par. iv, cap. 4, c. 1, sect. 1, n. 115; Reiffenstuel, lib. iv *Decc.*, tit. 1, num. 355 et sequent., et alii communiter; tempore enim legis naturæ Esau duxit uxores Cananæas (*Gen. xix*). Joseph duxit uxorem Asenæ Egyptiacam (*Gen. xli*). Tempore legis scriptæ Moyses accepit Sēphoram Æthiopiassam (*Exod. ii*). Salomon plurimas uxores idololatræ (*II Reg. i et ii*). Esther duxit Assuerum Chaldæum (*Esther ii*).

(113. Si ex duobus conjugibus infidelibus unus convertatur ad fidem, et alter mōnitus, et rogatus nolit converti, nec cohabitare sine injuria Creatoris, tunc matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum, ita ut conjux fidelis possit aliud matrimonium contrahere cum fidele ante omnem sententiam, ut colligitur ex *I ad Corinth.*, cap. vii, ibi: *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti* (id est

ligamini conjugali) *subjectus est frater, aut soror in hujusmodi*: et ex cap. *Si infidelis 2*, caus. 28, quæst. 2, ubi sic expresse habetur: « Contumelia quippe Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur; infidelis autem discedens, et in Deum peccat, et in matrimonium, nec est ei fides servanda conjugii, etc. » et cap. *Quanto 7*, De divortii, ibi: « Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit, et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: *Si infidelis discedit, discedat; frater enim, vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi*; et canonem etiam, in quo dicitur: « Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii circa eum qui relinquitur » et *Glossa ib.*, verb. *Contumelia*, ubi adducit sequentes versus:

Desere spernentem, vel blasphemare volentem.
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem.
Nam sunt absque mora sic vincula rupta priora.

(114. Non potest autem fidelis conversus solvere matrimonium quoad vinculum, quando infidelis vult cohabitare sine injuria Creatoris, licet nolit converti, ut colligitur ex *prima ad Corinth.* cap. 7, ibi: *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, et si quæ mulier virum habet infidelem, et hic consentit habitare cum illo, non dimittat illum*: et ex cit. cap. *Si infidelis 2*, caus. 28, qu. 2, et cit. cap. *Quanto 7*, et cap. *Gaudemus 8*, De divortii. Et tenent S. Thomas in 4, dist. 39, qu. unie. artic. 5, in corpore, et ibi S. Bonavent. 2, quæst. 1; S. Antonin. III part., tit. cap. 6, not. 3, et alii passim.

ADDITIONES CASINENSES.

Lubet hic, duce, ac magistro Benedicto

(29) En rationum momenta, et resolutio S. Congr. Conc. — *Die Sabbati 17 Januarii 1722*.

FLORENTINA, ANNA MARIA Theresia Medicea, divina inspirante gratia, Judaicam perfidiam abjuravit, et die 29 Octobr. anni elapsi 1721, una cum quatuor filiis S. baptismum recepit. Dum Anna erat in statu infidelitatis, matrimonium contraxerat cum Abrahamo Barda Hebræo, a quo tamen, juxta ritum Judæorum, usque de anno 1710, libellum habuerat repudii; cumque Anna prædicta promptam habeat occasionem nubendi cum Antonio Cecchio, milite Christiano, et periculum sit in mora, et Abraham in longinquis degat regionibus, absque eo quod sciri tuto possit, quo loco versetur, exorta est Florentiæ disputatio, an Abraham prædictus de jure sit interpellandus, quatenus affirmative, an concurrentibus circumstantiis, possit Anna matrimonium facere cum milite Christiano, ommissa, ex superiorum indulgentia, memorata interpellatione, et a vicario capitulari Florentiæ, qui omnia prædicta in sua informatione refert, hujusce Sac. congregationis oraculum exposcitur.

« Ducto initio ab interpellatione, apostolus Paulus, in *prima ad Corinthios*, cap. vii, inquit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo,*

XIV sequentia tradere. « Certum est infidelium conjugium, ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concessio, et per apost. Paul. *I ad Cor.*, c. vii, promulgato, dissolvi, cum conjugum alter Christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est sine periculo subversionis conjugis fidelis, vel non sine execratione sanctissimi nominis Christi, et Christianæ religionis despicientia. Ex hoc vero fit, integrum non esse conjugii converso transire ad alia vota, priusquam infidelis interpellatus, aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit, cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia, uti colligitur ex celeberrima Decretali Innocenti III in cap. *Quanto*, De divortii, notante Sanchez... Salmatic... cardinalis de Laurea... Clericatus... »

« At quandoque evenit (prosequitur Benedictus XIV) conjugem infidelem in longinquas abiisse regiones, aut ita latitare, ut interpellari nequeat; et tunc dubitatur an, interpellatione omissa, fas sit converso alias inire nuptias. Affirmant plerique, quibus astipulantur Sanchez... Genuensis... Riccius... Alii ex adverso, inter quos Pontius... in eo rerum statu necessariam putant dispensationem Summi Pontificis, cujus est declarare in quibusnam circumstantiis desinat obligare præceptum divinum, quo prædicta interpellatio, ante rescissionem matrimonii videtur injuncta. Atque huic posteriori sententiæ, in quadam causa *Florentina*, discussa 17 Januarii 1722, adhæsit sacra congregatio Concilii, cujus judicio nos omnia subjicimus rationum momenta, quæ a dissidentibus inter se doctoribus in utramque partem afferuntur, uti legere est tom. II *Thesaur. resolut.*, pag. 117 et seq. (29).

non dimittat illam; et si quæ mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illo, non dimittat virum, etc. Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.

« A quibus Apostoli verbis, sicut deducitur, quod per conversionem ad fidem unius ex conjugibus, tunc tantum solvitur matrimonium quoad vinculum, quando alter remanens in infidelitate, non vult converti, vel non vult habitare sine contumelia Creatoris, uti perpendit Innocentius III in cap. *Quanto*, De divortii, ibi: « Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel, ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda si voluerit, vota transibit, et in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, *si infidelis discedit, discedat, frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi*; et canonem etiam, in quo dicitur: *Contumelia Creatoris solvit jus matrimonii, circa eum, qui relinquitur*; »

« Ita inferitur conjugem fidelem debere de necessitate conjugem infidelem interpellare, an velit converti, et cohabitare sine contumelia Creatoris, ad

« Nec Sedes Apostolica difficile se præbet eam petentibus dispensationem, quam urgens causa suadet concedendam; etenim sicut in præfata causa *Florentina* animadvertimus, Gregorius XIII locorum ordinariis, parochis, et presbyteris missionariis societatis Jesu, in Angola, Æthiopia, et Brasilia degentibus, potestatem fecit dispensandi cum qualibet conjugē, qui Christianæ religioni nomen dedit, ut novum possit matrimonium inire, omnia interpellatione alterius conjugis infidelis, quem constat legitime interpellari non posse; et Nos ipsi, ad Petri cathedram eveci, facultatem concessimus Apostolice nuntio Venetiis commoranti, ut in simili rerum eventu, possit ab ejusdem interpellationis onere relevare conjugēs conversos... quod habetur in constit. 117 nostri *Bullar.* tom. I, incip. *In suprema.* » De synodo diœces., lib. VI, cap. 4, n. 3.

En tenor constitutionis: *In suprema*, etc., ibi: « Fraternitati tuæ, et pro tempore existenti nuntio Venetiarum, ut cum quibuscunque utriusque sexus neophytis, vel infidelibus, vel Judæis, vel Turcis, aliisque

effectum, ut ad alia vota sibi liber aditus esse debeat, ut late docent Sanchez. Salmaticenses... clar. mem. card. de Lauro. Clericat... ubi formam per extensum refert hujusce interpellationis.

« Haud urgente, quod usque de anno 1710 Abraham vir miserat ad mulierem, de qua agitur, libellum repudii; ita ut ipsa remanserit in libertate alium ducendi virum, ut habetur in *Deuteronom.*, cap. xxiv. Cum enim Christus Dominus, *Math.* xix, dixerit Moysen, ad duritiam cordis, permisisse Judæis ut uxores dimitterent, sed ab initio sic non fuisse, et hoc ipsum iterum dixerit *Marci* cap. x, concludendo: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet, docent communiter theologi, hodie Judæis non esse permissum uxores suas repudiare, et per repudium non solvi vinculum matrimonii: Christus enim Dominus illud reduxit ad suum primævum statum, hoc est ad indissolubilitatem, non statuendo novam legem, sed auferendo dispensationem, quæ circa dictam indissolubilitatem fuerat concessa; Medina... cardin. Bellarm... Cornelius a Lapide, in *Deuteronom.* Sanchez... Lessius... Clericat... Pignatell...

« Et licet, hisce minime obstantibus, etiam hodie inter Hebræos, scientibus, et tolerantibus superioribus ecclesiasticis, vigeat praxis repudii, adhibitis nonnullis solemnitatibus... hæc tamen, et similia poterunt ad summum sibi locum vindicare in repudio inter infideles misso, et fidelem in infidelitate permanentibus, secus autem, quoties, prout hic, alter ex eis ad fidem conversus est, ut probat textus Innocentii III in cap. *Gaudemus*, De divortis, ibi: « Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam, ea vivente, licite poterit aliam, etiam ad fidem Christi conversus habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiam si consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad peccatum. »

« Hæc quoad necessitatem interpellationis, de jure loquendo, post quæ transitum faciendo ad punctum, an, stantibus circumstantiis, ex superioris indulgentia omitti possit in casu interpellatio, refert vicarius capitularis, primo, periculum esse in mora, si interpellatio facienda sit, et ante matrimo-

personis cujuscunque sectæ... vere ad fidem conversis, qui ante baptismum matrimonia, ut præfertur, contraxerint, ut eorum quilibet, etiam superstite conjugē infideli, Judæo, et Turca, etiam ejus consensu, vel requisito, et non expectato, vel minime requisito; dummodo etiam tibi constet summarie, et extrajudicialiter, conjugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum, intra tempus in monitione præfixum, suam voluntatem significare neglexisse, matrimonium cum quovis fidei, et Catholico, præmissis prius proclamationibus seu denuntiationibus a concilio Tridentino præscriptis, in faciem Ecclesiæ rite contrahere, ac carnali copula consummare, et in matrimonio sic contracto, quoad vixerint, remanere libere et licite possint, auctoritate nostra dispensare, et indulgere.

« Præterea matrimonia inter neophytos hujusmodi, et alios fideles, et Catholicos alias rite contracta, etiam postmodum innotuerit priores conjugēs infideles, vel Turcas, aut Judæos, nonnullis legitimis impedimentis detentis, suam voluntatem significare minime potuisse, vel ad fidem etiam

nium expectandus sit lapsus temporis in interpellatione præfigendus; secundo, elapsus esse tempus undecim annorum a die repudii ab Abraham missi, absque eo quod ille unquam de uxore, et filiis requisiverit; tertio, bellum repudii esse conceptum verbis adeo injuriosis, ut nullum spei vestigium supersit reditus viri ad uxorem repudiatam; ultimo denique ignorari an Abraham sit vivus, an mortuus, nec ullam a die discessus habitam fuisse notitiam loci, quem ipse petit.

« Concurrentibus autem consimilibus circumstantiis, nonnulli putant posse jure suo conjugem fidelem, omnia interpellatione viri infidelis, transire ad alia vota: Sanchez... Sicque fuisse in curia archiepiscopali Neapolitana decisum referunt *Genuesis*... Riccius... et hæc opinio, tanquam probabilis, admittitur a Diana... et in terminis mulieris Hebrææ ad fidem conversæ, et hic in Italia degentis, quod stante latitudine viri in infidelitate permanentis, posset, omnia interpellatione, aliud matrimonium contrahere, docuerunt Comitoli... Clericat...

« Econtra alii censent quod, etiam concurrentibus circumstantiis, de jure sit locus interpellationi, sed quod, si graves sint, haberi debeat recursus ad Summum Pontificem, cujus est in eo rerum statu indulgere, ut, omnia interpellatione, conjux fidelis ad alia vota transire possit, Pontius... Nicol... ubi dicit sic resolutum fuisse ab hac sac. congregat. et faciunt Apostolica Litteræ Gregorii XIII apud Pignatell... in quibus, singulis locorum ordinariis, parochis, et presbyteris missionariis societatis Jesu in Angola, Æthiopia, et Brasilia degentibus concessit, ut, si aliquis ex conjugibus ad fidem convertatur, et alius in infidelitate remaneat, quoties sibi summarie, extrajudicialiter constiterit, conjugem infidelem abesse, et legitime moneri non posse, dispensare valeant, ut conjux fidelis, omnia interpellatione, aliud contrahat matrimonium.

« His stantibus, dignabuntur EE. VV. decernere:

1. « An de jure necessaria sit interpellatio, in casu, etc., et quatenus affirmative;
 2. « An, stantibus circumstantiis, indulgentia sit dispensatio ab interpellatione in casu, etc. »
- Ad utrumque affirmative.

tempore secundi matrimonii conversos fuisse, ullo unquam tempore rescindi minime debere, sed illa semper firma, valida, et inviolabilia existere, et fore, dicta auctoritate decernas, et declares, plenam, et amplam facultatem, et potestatem, eadem auctoritate, tenore præsentium tribuimus, et impertimur, etc. »

« Sed alia (sic idem Benedictus XIV) hinc oritur controversia, de temporis momento, quo rescindatur fœdus connubii, de quo sermo est (* nempe inter conjugem conversum ad fidem, et alterum in infidelitate permanentem, ut supra *).

« Plerique doctores sentiunt, interpellato conjugē infideli, eoque, aut expresse abnuente legitime cohabitare cum fidei, aut intra terminum, sibi in interpellatione præfixum, nihil respondente, dissolutum statim censi vinculum conjugii, quo erant ambo constricti. Alii arbitrantur tunc primum dirimi, cum conjux conversus alteras nuptias contrahit.

« Ab istius autem controversiæ decisione, alterius pendet enodatio difficultatis, de qua non semel contingit in ecclesiasticis foris disputari. Fingite Titium Hebræum Christianam fidem amplecti: postquam baptisate ablutus, uxorem suam Næviam, quam in Judaismo pertinacem reliquit, interpellat, an velit secum cohabitare sine Creatoris contumelia: Næviam, aut expresse renuat, aut intra præfinitum sibi temporis intervallum nihil respondeat; aliud deinde matrimonium cum Hebræo viro contrahat Næviam, Titius autem Christianus cælibem statum eligat, fingite, rursus, post aliquot annos, Næviam, cum suo secundo viro, ad Christianam fidem converti, colente adhuc Titio cælibatum: gravis statim excitatur quæstio, an Næviam redire debeat ad Titium suum primum virum, an potius permanere cum secundo. Hujus autem quæstionis decisio ab alia pendet, quam antea proponebamus. El-

(30) Sunt porro tenoris sequentis — « Die 27 Julii 1726.

« *Florentina* — Ricca Esther, dum erat Judæa, matrimonium contraxit cum Abraham Hebræo, et illud consummavit.

« Post aliquod temporis spatium Ricca Florentinæ Judaicam perfidiam abjuravit, et ad catholicam religionem conversa est, relicto Abraham post canonicam consuetam monitionem in sua Judaica perfidia.

« Ricca ad alia vota non transivit, et adhuc remanet inupta, sed Abraham anno 1721, aliam Hebræam nomine Blancam duxit in uxorem, et matrimonium consummavit.

« De præsentibus Abraham et Blanca unanimi consensu cupiunt catholicam religionem amplecti: sed vellent post baptismum receptum perseverare, quatenus liceret in matrimonio inter ipsos, ut supra, contracto, et Ricca suum præstat assensum, cum nullo modo velit redire ad Abraham, etiam post abjuratam ab ipso Judaicam perfidiam, et conversionem ad nostram sanctam religionem.

« Super hac facti specie controversiæ exortæ sunt in civitate Florentina, eademque remissæ ad hanc sacram congregationem.

« Secretarius facilius studii gratia nonnulla ad-

enim si matrimonium Titii cum Næviam rescissum fuit, statim ac Næviam interpellata renuit cum Titio legitime cohabitare, uti opinantur doctores primæ sententiæ, valide profecto potuit eadem Næviam alteri se copulare viro, cum quo propterea perseverare debet, etiam cum ambo Christianorum sacris sunt initiati.

« At si matrimonium in infidelitate contractum, tunc solum dissolvitur, quando conjux conversus aliud conjugium inquit, uti existimant doctores secundæ sententiæ, cum Titius, in casu, aliam non duxerit uxorem, illegitimum certe fuit novum matrimonium a Næviam, nondum a priori vinculo soluta, contractum; atque idcirco, cum Christianam fidem amplectitur, tenetur ad primum virum redire.

« Verum cum res contigerit Florentiæ, anno 1726, et de ea disceptaretur in S. congregat. Concilii, Nos, pro nostro, quod tunc gerebamus, secretarii munere, dissertationem elucubravimus, qua luculenter ostendimus, ex enuntiatis sententiis, posteriorem esse, tam inter antiquos, quam inter recentiores theologos et canonistas fere communiter receptam: ex quo conclusimus virum Hebræum, de quo res erat, quique cum secunda uxore, quam, juxta præmonstratum casum duxerat, baptismum petebat, post illum susceptum, teneri redire ad primam, jam pridem Christianam factam, et perseverantem inuptam: et sacra congregatio, ne latum quidem unguem a nostra sententia recessit, eoque libentius eam est amplexata, quod Nobis pariter suggerentibus, comperit, ita, consentientibus theologis in consilium adhibitis, fuisse ab eadem definitum anno 1679 et 1680 in simili casu, qui Florentiæ quoque evenerat; quæ omnia legenda sunt in *Thesaur. resol.*, tom. III, pag. 346, 352 et seq. (30). » De synodo diœces., l. cit., num. 4.

« Alter ejusdem causæ articulus (sic

notavit ad calcem folii, quibus solita maturitate perpensis, dignabuntur EE. VV. decernere.

« 1. An adhuc subsistat matrimonium in Judaismo contractum inter Riccam, et Abraham, et quatenus affirmative,

« 2. An Abraham post suam et Blanchæ conversionem teneatur ad redeundum cum Ricca, et Blancham relinquendam, et quatenus affirmative,

« 3. An Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad fidem converso, et quatenus affirmative,

« 4. An Summus Pontif. dispensare possit, ut Abraham conversus permaneat in matrimonio in infidelitate, uti supra, contracto cum Blanca, et quatenus affirmative,

« 5. An consilium præstandum sit sanctissimo domino nostro pro concessione dictæ dispensationis in casu, etc. »

Ad primum, et secundum affirmative, in reliquis dilata, et scribant theologi et canonistæ, et perquirant exempla, et ad mentem.

« Discursus secretarii in causa Florentina — 1. Certum est quod matrimonium in infidelitate contractum solvitur quoad vinculum, si alter ex conjugibus in infidelitate permaneat, et nolit cohabi-